

05

A

259



21/12

OBSERVATIONES
THEOLOGICÆ
DE
IMAGINE DEI,

D. O. M. A.
IN ELECTORALI FRIDERICIANA,
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO IUVENTVTIS PRINCIPE AC DOMINO,
DN.

FRIDERICO WILHELMO,
ELECTORATVS BRANDENBURG. HÆREDE,
ETC. ETC. ETC.
P R Æ S I D E

JOACH. JUSTO BREITHAUPT,
S. Th.D. Profess. Publ. & Semin. Directore,
Consil. Consist. Duc. Magdeb.

&
RESPONDENTE
JACOBO BAUMGART,
Wolmirstadiensi, Elect. Semin. Alumno,
Ad disputandum P. P. Dec. M DC XCVI.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
TYPIS CHRISTOPH. ANDRÆ ZEITLERI, ACAD. TYP.

VIRIS
ILLUSTRI ATQVE EXCELLENTISSIMO,
DN. CHRISTIANO FRIDERICO
KRAUTHIO,

Potentiss. Electoris Brandenb. Consiliario Ca-
meræ Intimo, & Ærariorum Præfecto supremo. &c.

PATRONO LITERARUM MERITISSIMO,
DOMINO SUO SUBMISSE VENERANDO:

nec non

NOBILISSIMO, AMPLISSIMO ET CONSULTISSIMO,

DN. CHRISTOPHORO SCHRÖ-
TERO,

Potentiss. Electoris Brandenburgici Præfecto
Wolmirstadiensi. &c.

PATRONO AC BENEFACTORI SUO
SUMMOPERE COLENDO,

Observationum Theologicarum has primitias



05 A 259 D. D. D.

JACOBUS BAUMGART.



I. N. J.
DE IMAGINE DEI
OBSERV. I.

Christianorum omne officium consistit in eo, ut imaginem Dei intra se instaurent; quâ destitutus DEUM intueri nemo poterit.

I.
Unc̄tio in peccatoribus privationem aliquam *presupponit* 2. Cor. I, 21. tendit ergo ad restitutionem boni pristini, videlicet imaginis divinæ. Hoc significabatur, quando Sacerdotes & Prophetæ & Reges ungebantur; quibus vires novas, ad tanta munia nomine DEI gerenda, divinitus affluere oportebat. Tendebat autem ejusmodi omnis unctio Veteris Testamenti ad ipsum Christum, qui propter nos unctus ille est καὶ ἐξοχὸν, & in assumpta naturâ nostrâ absque peccato affluxum imaginis DEI sic recepit, ut ejus ex plenitudine omnes capere & possimus & debeamus. Rom. V, 15. & c. Joh. I, 16. Eph. III, 19, 20. Nec absque divino consilio factum, ut credentes in Christum Antiochiæ dicerentur Christiani Act. XI, 26. tanquam profitentes, semet defectum summi boni in naturâ suâ agnoscere, & ex uno,

uno, qui unctus sit bono omnium, si ei adhærescant omni cordis proposito v. 23. ejusdem unctionis participes reddi, quæ existat fons imaginis divinæ, id est, veræ beatitudinis.

2. Ne Ethnicorum quidem sapientiores ignorârunt, in *similitudine* cum DEO, quam ipsam esse DEI imaginem Scriptura docet Gen. I, 27. præstantiam maximam versari. Ex quo absque dubio conficitur, hominis totum officium in eo collocandum, ut DEO quâ simillimum se præstet functionibus internis atque externis. Cum verò hypocrisis, actionibus constans veritatem coactâ imitatione simulantibus, Veritati primæ invisa prorsus sit; nec tamen vires apud animum superstites quidquam valeant, nisi amore sui *inordinato*, qui ab odio DEI non discrepat, intimè corruptum, speciemq; si referat boni, certâ quâdam extortum violentiâ: necesse est, ante omnia unctione virium spiritualium, e Christo derivandâ, humanæ facultates reficiantur, quæ in imagine DEI, fidei igniculo accensâ, interiùs magis magisque sic elaborent, ut opera exteriora ex vivâ hâc scaturigine, introspicente ipso DEO, nunquam non profluant, ipsæq; imo in spiritu instaurantur in dies atque augeantur. Rom. XII, 2. Neque aliud est collyrium, quo inungendi sunt oculi, ut videas Apocal. III, 18. Nec verò *justificationis* negotio, quod necessarium ad salutem est, quidquam derogandum. Certè remissio peccatorum imaginem divinam instaurandam respicit tanquam finem, fidesque eadem, quæ justificat, vitam & lucem spiritualem accendit.

3. Cæterùm absque conformatione mentis cum DEO beatam visionem Dei nullam fieri, Scripturâ at-

te-

testante res ipsa evincit. Notavit hoc etiam Philo Ju-
 deus, de Abrahamo ita scribens: Prius sensibilia magnam
 ei caliginem offuderant, quam ubi discussit calidis & ignitis
 dogmatibus, vix tandem potuit, velut in serenitate pura, eum
 qui prius latuerat, cernere. Ille vero pro sua Φιλαρθεωμία ve-
 nientem ad se animam non averfatus, sed obviam progressus,
 ostendit suam naturam, quatenus videri poterat ipse videns:
 quam ob rem non dicitur, vidit sapiens Deum; sed, Deus appa-
 ruit sapienti. Non enim erat possibile, ut aliquis per se ipsum
 comprehenderet eum, qui ipsa veritate est, ni ille se ultrò vi-
 dendum prabuisset. Deus namque habitat lucem inac-
 cessibilem, quam vidit nemo hominum, nec videre
 potest I. Tim. VI, 16. Ipse autem si imagine suâ in ani-
 mos nostros irrumpat, tum existit demum visio: ju-
 xta Ps. XXXVI, 10. quia tecum scaturigo vitarum: in
 luce tuâ videmus lucem. Quod mirificè illustrat Tau-
 lerus in de imitatione paupertatis Christi §. 53. quem-
 admodum nempe Sol oriens luce suâ non tam extin-
 guit lumina, quàm collustrando cætera quasi absorbet
 omnia, ut suum ipsius unum dominetur; ita sol gra-
 tiæ, si locum obtineat penes hominem, in humanas
 vires eâ cum efficaciâ se transfundit, ut, antea nullas
 tibi fuisse ad Deum verè agnoscendum, facile persen-
 tiscas. Idem confirmat pulcherrimè Augustinus de Do-
 ctrin. Christ. lib. II. c. VII. dilectionem inimici addu-
 cens signum, ubi quis ipsum oculum purgat, quo videri De-
 us potest, quantum potest ab iis, qui huic seculo moriuntur, quan-
 tum possunt. Nam, inquit, in tantum vident, in quantum mo-
 riuntur huic seculo. In quantum autem huic vivunt, non vi-
 dent. Et ideò, quamvis jam certior, & non solum tolerabilior,
 sed etiam jucundior species lucis illius incipiat apparere, in æ-
 nigmatè tamen adhuc & per speculum videri dicitur, quia ma-

gis per fidem, quàm per speciem, ambulatur, cum in hac vita peregrinamur, quamvis conversationem habeamus in cœlis. Quorum verborum priora significant, concupiscentiis vitam hanc regentibus, visum spiritualem ideò non aperiri, quòd imago Dei illo in statu recipi nullo possit modo: posteriora ex 2. Cor. V, 7. neutiquam eò sunt accipienda, ac si fidei opponatur ipsa res, & visio per fidem, quæ abstractiva & enigmatica est 1. Cor. XIII, 12. non realis fit; neque enim hoc vult Apostolus vel Augustinus, sed tantummodò visionis modum atq; gradum uterque monet diversum esse, unam immediatâ intuitione consummatam, alteram infuso fidei ardore inchoatam. Etsi namque fatendum omninò, haud omnem, quæ per speculum vel naturæ vel Scripturæ intellectu hauritur, veri nominis visionem Dei existere; nequaquam tamen negandum idem est, ubi *lumen gratiæ actu* accensum fuerit Verbi efficaciam. Unde oritur discrimen in Scripturis, ut, quæ videndi ratio de impiis pernegatur, eadem affirmetur de piis ac verè fidelibus. Joh. XIV, 9. 17. 1. Joh. III, 6. Et verò si mundus Spiritum Sanctum non potest recipere, quia non conspicit eum, nec novit eum; causa in eo ponitur, quòd mundus refertus vanitatis imaginibus atque oppletus impediatur planè, quò minus aliquid divinæ lucis, seu imaginis Dei, in spiritu ac veritate capiat; ita ut *gratia spiritualis & salutaris* semper excludatur, nedum intuitiva sit consecutura. Hebr. XII, 14. Qui non credit filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum. Joh. III, 36.

OB-

OBSERV. II.

Inter imaginem Dei in hac vitâ & cœlestis gloriæ lumen versatur analogia, ut ea ex hoc quasi rivus effluat, qui licet unius ejusdemque sit naturæ, tamen propter diversitatem modi ac graduum appellatur lumen gratiæ.

1. **A** Nimadversio notatu dignissima est, quòd in Scripturis gloria Dei significare soleat divina *attributa*, quatenus hæc per actus consentaneos hominibus se cognoscenda præbent. Ps. XIX, 1. XCVI, 3. Esa. VI, 3. LVIII, 8. &c. Joh. I, 14. II, 11. Rom. I, 23. &c. Neq; verò ipsum lumen gloriæ, quod bonis Angelis & in Ecclesiâ triumphante agentibus tribuitur, quidquam aliud denotat, quàm facultatem Deo in attributis suis fruendi absque obstaculo peccatis obnoxia mortalitatis. Quando ergò observamus, imaginem Dei esse *justitiam originalem*, primitus homini concreatam, divinas perfectiones, sapientiæ præsertim ac sanctitatis, in homine tanquam speculo referentem; liquet omnino, analogiam certam esse inter cœlestis gloriæ lumen & imaginem Dei in hac vitâ. Unde nec malè interpretantur Rom. III, 23. qui verba illa, *omnes peccaverunt, ac deficiuntur gloriâ Dei*, de imagine Dei intelligunt, tanquam justitiâ illâ Dei v. 21, 22. quam in Christo recuperamus.

2. Quemadmodum lumen gloriæ ad ipsam Dei essentiam *per modum effectûs* se habet, ita & lumen gratiæ seu imaginis divinæ ante & post lapsum. Quemadmodum verò lux auroræ vel diei, radiis solaribus quan-

quantumvis nubilo obductis, eâdem gaudet tamen naturâ, quâ lumen à sole *immediate* productum, ex quo *participatione* quâdam emanat aurora & dies: sic & imago Dei in paradiso perfecta, & quæ post lapsum instauratur, imperfecta, & quæ perfectissima reperitur in cœlis, diciturque *lumen gloriæ*, unius ejusdemq; naturæ est; duabus istis prioribus ab hoc, quatenus *immediato*, effluentibus, atque in ipsum illud resolvendis. Sic docet Apostolus de fidelibus, verè ita dictis, quòd mortui sint, & vita ipsorum abscondita sit cum Christo in DEO, ut vix appareat; patefaciendi autem cum eodem in gloriâ, quando Christus, vita ipsorum, patefactus fuerit. Col. III, 3. 4. Ubi eadem vita, quæ hîc abscondita est, proditura asseritur gloriosa. Quid enim est imago DEI in hoc & futuro statu, quàm vita illa DEI? Eph. IV, 18. Hæc aqua est, quàm Christus dat homini, ut quicquid ipsa est *naturâ*, fiat etiam *actu* penes eum, nempe fons aquæ salientis in vitam æternam Joh. IV, 14. Ex quibus verbis ecquis inficias ibit, vitæ æternæ radicem atque originem in fide ac imagine DEI existere in hoc ævo, vitamq; spirituales in regenitis ipsam esse vitam æternam *inchoatè*? quæ sententia haud nova existimanda, sed in Ecclesia semper floruit, testante superioris seculi Theologo meritisimo, Davide Chytrao de morte & vitâ æternâ p. 176. in Joh. XVII, 3. it. p. 269. &c. conf. I. Joh. III, 15.

3. Cùm ergò ex parte principii *constitutivi* monstrari nihil possit discriminis, quod inter lumen gloriæ in cœlo & imaginis DEI in hâc vitâ intercedat, statuendum necessariò, utrumque ejusdem esse essentiæ; ut angeli parvorum Matth. XVIII, 10. cum hisce unâ fruantur Patris facie, licet hi quoad prægustum, sed
ve-

DE IMAGINE DEI.

9

verum, illi quoad gustum perfectum. Quoniam proinde lumen gloriæ finem & propius & fortius attingit, quàm imago DEI in præfenti imperfectione: hæc enim *abstractiva & mediata* est fruitio attributorum DEI, multisque impedimentis comminuta; illud est fruitio *intuitiva* atq; *immediata*, nullis nec velis nec remoris impedita: minimè diffitendum superest, differentiam oriri ex diversitate modi ac graduum. Lumen enim gloriæ perfectius est imagine DEI, sive hæc ante lapsum perfecta in paradiso, sive post lapsum restituenda spectetur; nec tantum *extensivè*, ut sublato omni obstaculo ad omnes conformitatis cum perfectione DEI actus finitos se extendat, quod eo quidem modo proximo nec in primævâ integritate fuit; verum etiam *intensivè*, ut longè intensius atq; efficacius ad DEUM colendum inflammet intuitionis gratia. Quæ etsi utiq; adhuc mera gratia est eritque æternum, pro statu nihilominus, nullis amplius miseriis aut abstractionibus exposito, denominatio sumitur à gloriâ. Imago autem DEI in priore Paradisiacâ, vel hæc vita, etiamsi circa eandem gloriam versetur 2. Cor. III, 18. tamen appellatur meritò non gloriæ, sed gratiæ lumen; partim ob rationem abstractivam, partim ob imperfectionem, ex multis malis oriundam. Ut enim in utero matris ad hanc brevem & mortalem vitam formamur, sic in hæc vitâ regeneramur & præparamur ad æternam gloriosam: nam *filius Dei in ipsius verbò, ceu fœtus in alvò maternò nutrimentum attrahens umbilicò & cotyledonibus, sedent inclusi & attrahunt agnitionè Dei & vitam: ceu præclare inquit Philippus Melancthon de Tribus Personis Divinitatis. Similiter profitetur Danbæuerus Hodof. Phœnom. XI. p. 1404. spem, quâ quis*

B

salvus

salvus est Rom. VIII, 24. cum rei primitiis conjunctam esse Rom. XIV, 17. *spem*, quæ non differt à *re*, nisi ut *pullus intra ovum* & *pullus exclusus*; vel, ut *infans intra uterum jacens* & *jam editus*. it. hujusmodi fortem à cœlesti non differre, *specie*, sed *gradu*, *apparitione*, *gloriâ*, *lumine*, quod in Patriâ majus, non diversum specie, à Lumine Viæ. Et Lutherus Tom. Jen. Lat. III. f. 455. Talem habemus Regem, qui sic regnat *in hac vitâ incipiens æternam vitam*. Est autem imperfectum regnum, quoad nos, quia *inchoatum tantum est, non est perfectum*, tum autem perficietur, cum tradet regnum Patri, ibi perfecte cernetur Deus de facie ad faciem. Interim licet fideles vel cætellis videantur similes, vescuntur certè micis, quæ cadunt ex eadem mensâ & eodem pane Dominorum suorum. Matth. XV, 27. fidesque ipsorum prædicatur magna, & cui ipse effectus juvandi sit proprius c. IX, 22. sanè haud alio significatu, quàm quòd ista ex objecto apprehenso naturæ divinæ sit particeps 2. Pet. I, 4. cui id, quod Deus efficit, propter communicationem, actu fidei terminatam ad periculum humanum, tribui verè possit.

OBSERV. III.

Filius Dei, æterna Patris Imago quoad divinam naturam, Mediator Deum inter & homines, per assumptam humanam instauravit nobis imaginem Dei amissam, atque hanc ex naturâ suâ humanâ hominibus impertit.

I. HOMO lapsus ad imaginem Dei resurgere abs se non poterat; ita enim infirmârat legem corruptione
ptione

ptione carnis, ut peccatum penitus excutere nec posset nec vellet. Rom. VIII, 3. Quamobrem personam quadam mediâ opus erat, quæ & liberaret nos à culpâ ac pœnâ, & denuò imaginem Dei in nos transfunderet. Neque verò homo hoc præstare valuisset alius, quam qui tantum opus ultrò aggressus est solus, Filius Dei unigenitus, homo factus I. Tim. II, 5. Hic enim ab æterno cum gauderet unâ cum Patre suo essentia divinâ, ejusdem imago *substantialis* Heb. I, 3. Joh. I, 18. voluit nostrum causâ naturam humanam assumere, atque in hâc etiam imaginem Dei, *accidentaliter* sumtam primi Adami loco sustinere, ac nobis meritò suò restituere integerrimam. Quod quidem præter eum facere nemo potuisset, quoniam ad Mediatoris partes inter Deum & homines gerendas, ut natura humana, ita & divina requisita est necessariò, propter Deum, cui satisfaciendum fuit. Itaq; Christus mediator factus est secundum utramque naturam 2. Cor. V, 19. Atque ut pulcherrimè commentatur *Beza* in Heb. I, 3. *Non minùs acutè, quàm rectè, Tertullianus, adversus Praxeam, istud mysterium his verbis explicat: Vicarium se Patris Christus ostendit, per quem Pater & videretur in factis, & audiretur in verbis, & cognosceretur in Filiò facta & verba Patris administrante. Filius igitur idcirco homo factus, ne nudâ DEI speculatione absorberemur, nobis est speculi instar, in quo non ex aliquâ radiorum reflexione appareat inane objectæ rei simulacrum: sed in cujus intima & substantiali splendore, quem nos ex ipsius effectis in visibili illa carne percipimus, Pater ipse nobis suam illam infinitatem & omnipotentem majestatem, immensam illam & incomprehensam *Φιλανθρωπικόν* contemplandam & spectandam, atq; adeò palpandam præbet. Unde fit quoque in Scripturis, ut, ubi Christus tanquam imago Dei de-*

signatur, in humanitate suâ non spectetur nudè & per se, verùm ut Θεάνθρωπος atque in utraque natura; uti ex eo intelligitur, quòd non expressâ mentione vel Deitatis vel humanitatis factâ, sequi soleant tamen, quæ non nisi de Deo aut incarnato possunt accipi. Col. I. Heb. I.

2. Quando autem Filio Dei placuit, ex merâ misericordiâ hominibus imaginem Dei redimere, factum est hoc quidem juxta naturam utramque, sed ita, ut humana esset medium quiddam, in quo & repræsentaretur imago amissâ quàm perfectissimè, & lapsis acquireretur & via & facultas ad eandem recipiendam. Assumfit enim ipsam naturam nostram, unctus non ad mensuram Joh. III, 34. vel uti consortes cæteri Eph. IV, 7. Ps. XLV, 8. verùm ita, ut in ipso incarnatô habitet tota plenitudo divinitatis *σωματικῶς*, quomodo anima in corpore habitat cum *appropriatione & participatione*. Col. II, 9. Quâ unione & communionem factâ, peccatum in carne is condemnavit Rom. VIII, 3. non proprium sanè, quod nullum erat, sed nostrum; atque in eâdem plenus gratiæ ac veritatis sic emicuit, ut gloria unigeniti à Patre conspiceretur Joh. I, 14. promeritus nobis obedientiâ *activâ & passivâ* Rom. V, 19. Phil. II, 8. ut, quemadmodum peccatum regnavit ad mortem, ita etiam gratia regnaret per justitiam ad vitam æternam, per ipsum Jesum Christum, Dominum nostrum Rom. V, 21. & ex ejus plenitudine omnes acciperemus, & gratiam pro gratia: nam Lex per Moïsen data est: gratia & veritas per Jesum Christum præstita est Joh. I, 14, 15. siquidem servare in perpetuum potest, qui per ipsum accedunt ad Deum Heb. VII, 25. atque

que in eorum cordibus per fidem habitat, ut impleantur ad omnem usque plenitudinem Dei. Eph III, 17, 19.

3. Ita fit, ut, postquam *immediate* communicata sunt humanæ Christi naturæ divina illa idiomata, ex gratiâ unionis personalis, quæ ad hujus finem *mediatorium* faciunt, Propheticum, Sacerdotalem ac Regium; exinde *mediate* per Jesum Christum (*mediante* naturâ ejus humanâ) copiosè redundet in fideles Spiritus sanctus Tit. III, 6. per gratiam unionis mysticæ, secundû naturæ divinæ proprietates omnes, quæ ad hujus unionis finem *salutiferum* requiruntur, & Sacerdotalem & Propheticum & Regium: quibus officiis imago Dei se rursus exserit, tanquam *effectis* ac signis, docentibus, quòd rursus Dei domicilia & templa facti, unum cum Deo in nobis habitante, & corda nostra sanctificante, & sibi conformia reddente, fiamus Joh. XV, 5. XVII, 21, 22, 23. I. Cor. III, 17. 2. Cor. VI, 16.

4. Ante conversionem, loco imaginis Dei, velamen cordibus impositum est, quod non tollitur, nisi quis se converterit ad Dominum 2. Cor. III, 15, 16. qui Spiritum sanctificationis se nobis promeruisse, resurrectione suâ potenter declaravit Rom. I, 4. ut ipse nunc Dominus sit totus Spiritus 2. Cor. III, 17, 18. ad quem toto corde conversi resectam sibi faciem experiantur, intuentesq; ut in speculo ipsius gloriam, in eandem imaginem transformentur ex gloria in gloriam, ex divini *attributi* unius imagine in alteram. Fieri enim nequit, quin juxta 2. Pet. I, 4. qui mundanam in cupiditatibus versantem corruptionem effugerint, per Evangelium divinæ consortes naturæ efficiantur, Christo uniente illos sibi, non tantû *imputatione* splendoris sui Ps. XLV, 10. nec modò affectu mentis communicatô

1 Joh. V, 20. sed etiam in habitatione actuosâ, quâ ipse, ut primaria imago Dei, illis, ut secundariis, lucem affundit atque auget, ut hujusmodi membrum Christi verè dicat cum Paulo: Non ego, sed Christus in me vivit. Gal. II, 20. Joh. VI, 36. c. XIV, 23.

OBSERV. IV.

Majestas Dei, quæ aliàs peccatoribus intolerabilis est, hisce, qui in Christo imagine Dei fruuntur, eò magis objectum fit amabile, quò constantius in renovandâ istâ profecerint.

1. **N**egandum minimè est, quodam naturæ ductu hominem ad Deum inclinari, & communi temeritate ferri eò, ut facilè sibi persuadeat, Deum se habere propitium, quàm diu peccati dominantis vim sequitur cum hypocrisi, nec conscientiam juxta Legis spirituales sensum explorat. Rom. I, 21. Verùm aliter planè affici animum, ubi exactiones ac terrores legis ad vivum pertingunt, satis luculenter præmonuit fuga Israelitarum ad vocem Dei Ex. XX, 19. nec non facies Moïsis, figura illa tremendi Numinis, in quam intueri intentis oculis propter gloriam iidem haud potuerunt 2. Cor. III, 7. Apostolus verò Galat. III, 10. dubium nullum relinquit, quin qui ex operibus legis quidquam fiduciæ comminiscantur, sub execratione sint, quam & in litera scripta expressam videant. Scitè hanc in rem *Apolog. Aug. Confess. p. 83.* Quomodo potest humanum cor diligere Deum, dum sentit eum horribiliter irasci, & opprimere nos temporalibus & perpetuis calamitatibus? Lex autem accusat nos, semper ostendit irasci

sci Deum. Item p.84.85. in 2. Cor. III, 16. velamen intelligit Paulus humanam opinionem de tota lege, Decalogo & ceremoniis, videlicet, quòd hypocritæ putant, externa & civilia opera satisfacere legi Dei, & sacrificia & cultus ex opere operato justificare coram Deo. Tunc autem detrahitur hoc velamen, hoc est, eximitur hic error, quando Deus ostendit cordibus nostris immundiciem nostram & magnitudinem peccati. Ibi primùm videmus, nos longè abesse ab impletione legis. *Ibi agnoscimus, quomodo caro secuta atq; otiosa non timeat Deum, nec verè statuatur respici nos à DEO, sed casu nasci, & occidere homines. Ibi experimur, nos non credere, quòd Deus ignoscat, & exaudiat.* Ex quibus posterioribus verbis etiam atque etiam notandum, quòd antea securi vel hypocritæ isthoc videantur sibi credere. Postquam verò experiuntur apud se contrarium, inviti etiam fateri debent ac stupere caliginem suam; qua quidem nondum liberati verè sunt hujusmodi in statu, trepidantes quippe adhuc ad memoriam divinæ majestatis. Perspicue, ut solet, B. Lutherus Comm. in Epist. ad Galat. c. III. Lex est lux, quæ lucet & ostendit, non gratiam Dei, non justitiam & vitam, sed peccatum, mortem, iram & judicium Dei. *Quæ cum homini revelantur, impossibile est, ut non fiat impatiens, murmuret, oderit Deum & ejus voluntatem. Non enim potest ferre judicium Dei, suam mortem & damnationem, & tamen non potest effugere, hic tum necessario incurrit in odium & blasphemiam contra Deum. Prius extra tentationem magnus Sanctus fuit, coluit & laudavit Deum, genu flexit & gratias egit ut Phariseus Luc. 18. jam autem revelato peccato & morte, vellet Deum non esse. Itaq; Lex summum odium Dei affert. Et hoc non solum est, ostendi & cognosci Lege peccatum, sed etiam per o-*
sten-

agnoscitur

stensionem augeri, inflari, incendi & magnificari peccatum Rom. VII. Et paulò antè: Argumentationes ab humanis petitæ, cùm sumuntur ab *ordinatione* divinâ, bonæ sunt. Si autem ab *humanis affectibus depravatis* sumuntur, malæ sunt, & omninò non valent: qualis illa Scoti, minus bonum diligo, ergò plus diligo majus: nam *meum diligere non est ordinatio divina, sed depravatio diabolica.*

2. Insigne testimonium est de imagine Dei per Christum instaurandâ, cùm addit *Apologia* laudatis locis: Non diligitur Deus, nisi postquam apprehendimus fide misericordiam. *Ita demum fit objectum amabile.* Item: Cùm autem audito Evangelio & remissione peccatorum fide erigimur, concipimus Spiritum Sanctum, ut jam rectè sentire de DEO possimus, & timere DEUM, & credere ei. &c. Quàm diu enim cor humanum ab imagine Dei in Christo vacuum manet, vel turpissimæ securitatis, vel miserrimæ hypocriseos tenebris submergatur necesse est, vel terroribus corripì certè, quotiescunque Mosaici aliquid fulgoris ad imum penetrat. Joh. III, 20. Simulac verò contritio virtute passionum Christi imbuitur, ex percepto Evangelio, exoriens fidei mixtura Hebr. IV, 2. horrorem, transformat in pudorem, atque ita ex tenebris & crepusculo quasi, lux imaginis Dei incipit splendescere, ut ex promissionibus Evangelicis jucundum appareat lumen cognitionis gloriæ DEI in facie Jesu Christi 2. Cor. IV, 6. lux illa Dei, vocantis ad virtutes suas prædicandas, ita amabilis, ut quoque sit admirabilis 1. Pet. II, 9. conf. *Observ. I. §. 3.* Quocirca ordinem si lustremus, falsus est, quem aliqui opinionis errore sibi fingunt, ac si *justificatio* sic antecedit *sanctificationem*, ut nihil ad hanc pertinens

pertinens unâ cum illâ incidat: nam fides ipsa cùm juxta naturâ & seriem prior justificatione sit, absq; quâ nimirum hæc nunquam datur, non est dubitandum, radicem atque initium sanctificationis, ut tempore simul, ita naturâ suâ existere ante imputationem divinam, gratiâ isti competentem, etsi nihil meriti ad justificandum confert, nisi quod in Christo unicum offert. Nec verò dictum illud Apostoli primarium 1. Cor. I, 30. aliud docet: *Christus factus est nobis sapientia à Deo, justitiâ, & sanctificatio & redemptio*. Licet enim sanctificatio post justificationem ponatur meritò, tamen hoc non eo fit sensu, quasi omnia ad sanctificationem spectantia justificationem demum, & naturâ & tempore, consequantur; alioqui nec redemptionis quidquam statuendum ante exactam sanctificationem, quia huic postponitur; nec pœnitentiæ ante justificationem locus relinqueretur: quod utrumque absurdum. Ipsa verò cùm ante justificationem ratione certâ collocatur *sapientia*, ostenditur sanè, quòd Christus, quem ex ipsius virtute apprehendit fides nostra, priùs sanctificationem apud nos ordiatur, quàm justificationem nostrum obtinet coram Patre: quanquam hæc præponitur ceu completa, & tanquam necessaria ad eam excolendam.

3. Ex justificatione consequitur pax animi, & inenarrabilis tranquillitas conscientie Rom. V, 1. quæ quia per Jesum Christum habetur, enascitur inde, quòd in ipso, non sicut olim in Mose, sed tanquam in limpidissimo speculo & blandâ Patris imagine, Deum ad salutem intueamur. Sic imago Dei in nobis incipit: quandoquidem in Christo majestatis divinæ radios sentimus jucundissimos, ex quorum veluti reflexione splendoris ejusdem reddimur participes, neq; eò am-

C

plius

plius offendimur, sed contrà allicimur, magisq; ac magis admoti ausu fidei quodam incredibili, *παρρησίαν* illam & *πληροφόρειαν*, in Sacris tantopere laudatam, concipimus. Exempla & testimonia considerari possunt Rom. IV, 21. 2. Cor. III, 17, 18. Hebr. IV, 16. 1. Joh. IV, 16, 17. quo ex Johannis loco, uti & Rom. V, 5. discimus, admirationem charitatis erga nos paternæ, in Christo præstitæ, *medium* esse illud, quo *attributorum Dei* & dulcedine perfundamur & virtute imbuamur, & tantâ muniamur firmitudine, ut in die iudicii fiduciam habituri simus.

4. Quando autem imbecillitatis nostræ nos immemores fieri quotidiana haud finit experientia, propter *ἐν ὁμίσει τὸν ἀμαρτίαν* Heb. XII, 1. renovatione semper opus est. Hostes spirituales nunquam desistunt intentare nobis imaginum impresiones suarum, quarum elementa nisi partim avertamus, partim eradamus, continuo imaginis Dei renovandæ studio, isthæc facillimè evertitur. Ad quam renovationem, cave existimes, vel proprias vires conferre quidquam, vel solam resurrectionis Christi efficacitatem requiri in nobis: namque ut illæ nihil possunt, atque hæc verò momentum primarium omninò affert, ita hujus medicina vulnus aut nullum aut insanabile inveniret, nisi passionum Christi etiam virtus, non tantùm ad pœnitentiæ *lapsorum*, sed *stantium* quoque, seu sanctificationis strictè dictæ opus necessaria, ob contritionem de peccatis, & communionem in cruce efficiendam salutarem, primo semper loco adhiberetur. Quo ipso nulla admittitur confusio, sed ejusdem meriti acquisiti ad diversi statûs *subjectum* diversa applicatio. Ita nempe fideliter retinenti & renovanti dabitur accessio, & unâ cum

cum

cum imagine Dei copiosè subministratur introitus in æternum regnum Domini nostri & Servatoris Jesu Christi: qui autem putârit se habere, temerariô Evangelii abusu, nihil non aufertur ab eo. 2. Pet. I, II. Luc. VIII, 18.

OBSERV. V.

De imagine Dei instauratâ cum loquimur, non semper opus est, ut addamus, inchoatam intelligi, nec perfectam.

1. **F**undamentum situm est in eô, quòd, tametsi imago Dei in hac vitâ non instauratur *totaliter*, seu ita, ut illius statûs, qui ante lapsum fuit, perfectionem attingat; nihilominus tamen restituatur apud hominem *realiter* ac verè, ut non minùs vera sit conformitas cû Deo, quàm quæ initiò exstitit. Jam verò quæcunq; res veritate pollent *absolutâ* (hoc est, quæ non certo respectu demum aut conditione talis sit, licet diversis obnoxia reperiat gradibus quoad perfectionem) illæ etiam jure suo ac merito denominari possunt absque *apposito*, ut, si neque exprimat ratio inferior, appellatione quidem absolutâ nemo decipiatur. Quemadmodum in naturalibus non tantùm ætate ac staturâ provecti, sed etiam infantes ac tenerrimi dicuntur homines rectissime.

2. Nihil equidem afferri contrâ potest, nisi quod frivolum esse vel prima consideratio ostendat. Quòd enim imago Dei sine aliqua *appositione*, propter mentionem Dei, non nisi perfectâ intelligi possit, falsissimum est; propterea quòd ipsa communis ratio fertur ad *predicata* non aliter capienda, quàm *subjectorum*,

vel subtrati argumenti, ratio permittit. Error in hoc latet, quòd perperam de constitutione imaginis Dei quâcunque accipitur perfectio, quippe quæ competat essentiæ Dei; in quo inest insignis confusio. At verò, si imago Dei non nisi perfecta apprehenditur, *absolute* posita, quia perfectus Deus est, certè nec de Adamo nondum lapsò dici illa potuerit, quoniam similiter propter mentionem Dei, qui infinitus est, conceperis fortè infinitam. Quâ quidem instantiâ quid clarius? Nec quidquam incommodi habet, si renatis tribuatur imago Dei eadem, quæ homini concreata, atq; ab Adamo deperdita est. Quòd si æqualis prædicaretur, fieret, non sine errore: ast eandem esse, nihil designat, nisi imaginis Dei unam eandemque veritatem. Neq; enim qui audit, regenitos recepisse imaginem Dei, quam Adamus perdidit, eo ipso de perfectione cogitat, quòd ea perfecta fuerit, sed de eo, quid per imaginem Dei intelligendum sit; tantumq; abest, ut huiusmodi locutio perfectionem unâ insinuet, ut potius penes audientem novâ quæstione fuerit opus, an, qui ipsam recuperent, possideant perfectam? Plena aberrationis, atque ideò nulla est consequentia hæc: Dicitur eadem imago Dei recepta, quæ per Adamum amissa est; ergò perfecta necessariò intelligenda.

3. Atque ut apertissimè hæc in causâ lux pateat, reputentur pericula, quæ ab utroque extremo imminent. Nam si urgeatur semper, ubicunque sermo de imagine Dei apud renatos instauratâ inciderit, de *inchoatâ* dici, nec quidquam amplius tribuendum regenitis; auditores fœcordiæ occasionem arripiunt, nullamque non persuasionem putant ipsam imaginem Dei inchoatam esse, & cum de studio ejus augendæ
 non

non moneantur, curam illius negligunt. Rursum ubi doceretur nunquam, ad imaginem Dei regenerari hominem haud perfectè, hic vel in arrogantiam vel in desperationem facile traheretur. Quos scopulos ut evitemus, obviam imus utriq; damno, identidem & tradentes fideliter, quòd propter *reliquias peccati originalis* renovatio ad imaginem Dei haud tollat omnem imperfectiorem; & monentes non minùs graviter, quòd verè tamen instauranda imago Dei, quæ vera sit illa pristina, fide ac precibus quotidie in majus provehenda: ob quã causam & absolutè ipsam imaginem Dei dicendam esse non dubitamus, nequid veritati ejus & necessitati intempestivis extenuationibus detrahatur.

4. Itaque observamus, huc pertinere in Scripturis, quòd similiter loquantur Apostoli, subinde quidem fidelibus revocantes in memoriam, quomodo adhuc cum timore ac tremore operari salutem debeant, finem ipsum nondum assecuti Phil. II, 12, III, 12, 13. quando autem de imagine Dei renovandã agunt, plerumque *absolutis* dictionibus utentes, illiusque instaurationem veram exigentes omni zelo Ephes. IV, 24. Coloss. III, 10. ita ut expressè affirmet Paulus 2. Cor. III, 18. in eandem ipsam imaginem Domini fideles transformari; & Christus jubeat esse perfectos, ut Pater in cœlis perfectus est Matth. V, 48. Equidem probari & inde poterat, de regnitis imaginem Dei absolutè prædicari absque incommodo; quòd *Canones Hermeneutici* doceant, in Scripturis & communi sermone quandoque *adjectivum* deesse, ad *substantivum* commodè subintelligendum; exemplis id demonstrante Sal. *Glasfi* Philologiã Sac. I. III. tr. I. can. XI. & Phil. *Zeisoldi* Logicã S. Tripartitã part. I. obs. V. prolixissimè: at enim hâc in materiã rei ipsius natura

fic comparata est, ut ne subintelligi quidem aliquid *prædicati* sit opus; nihil præter verum aut planum afferente, qui apud regenitos imaginem Dei reside-
dere affirmârit.

Dicta Gentilium.

Pythagoras juxta Hierocli, in Carm.

Optimè Deum veneraberis, si ei similis animo efficiaris.

Plato lib. IV. de Legibus.

Simile simili amicum est. Cùm verò Deus rerum omnium nobis sit mensura maxima; igitur Deo qui gratus fieri vult, debet in id incumbere, quantum fieri potest, ut se ad illius similitudinem conformet. Ob hanc rationem ille hominum, qui sapiens est atque temperans, Deo est amicus.

Jamblich. apud Stobæum Serm. CI.

Felix est, qui Deo, quoad fieri potest, similis; perfectus, simplex, purus, & separatus ab humanâ vitâ.

Dicta Patrum.

August. de Civit. Dei lib. IIX, 17.

Religionis summa est, imitari quem colis.

Nyssen. lib. de Hom.

Scriptura, cùm ad imaginem Dei hominem factum retulit, generali quâdam voce universa simul complectitur. Idem enim est hoc, ac si diceret, humanam naturam omnis boni factam esse participem.

Dama-

Damascen. lib. IV. c. 4.

In incorruptione fecerat Deus hominem, propter sui ipsius communionem. At per transgressionem præcepti divini imaginis characteres obliteravimus, & nunc in malitia constituti, divinâ communionem justè sumus privati.

Origen. Hom. I. in Gen.

Homo maligni imaginem adduxit per peccatum: ideò Christus venit in similitudine hominum factus, ut nos ad ejus imaginem reformemur.

Iren. lib. III. c. 20.

Filius Dei incarnatus & homo factus est, ut quod perdideramus in Adam, i. e. secundum imaginem & similitudinem esse Dei, hoc in ipso reciperemus.

Beda l. III. in Job.

Signaculum imaginis Dei, quod per Adæ peccatum attritum fuerat & obliteratum, rursus per Christum iteratâ impresione restituitur.

Augustin. de Civit. Dei l. XIII. c. 23.

Quomodo induimus imaginem terreni, induamus & imaginem ejus, qui de cœlo est. Hoc Apostolus ita posuit, ut nunc quidem in nobis secundum sacramentum regenerationis fiat: sicut alibi dicit: Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis: re autem ipsa tunc perficitur, cum & in nobis quod est animale nascendo, spiritale factum fuerit resurgendo. Ut enim ejusdem verbis utar: spe salvi facti sumus. Induimus
au-

autem imaginem terreni hominis progagatione
prævaricationis & mortis, quam nobis intulit ge-
neratio: sed induimus imaginem coelestis homi-
nis gratiâ indulgentiæ vitæque perpetuæ: quod
nobis præstat regeneratio, non nisi per mediato-
rem Dei & hominum, hominem Jesum Christum:
quem coelestem hominem vult intelligi, quia de
coelo venit, ut terrenæ mortalitatis corpore vesti-
retur, quod coelesti immortalitate vestiret. Cœ-
lestes verò ideò appellat & alios, quia fiunt per
gratiam membra ejus: ut cum illis sit unus
Christus, velut caput & corpus.



05 A 259

ULB Halle

3

004 206 363




VD17
Gh





2/12



B.I.G.

Black 3/Color White Magenta Red Yellow Green Cyan Blue

Farbkarte #13

TIONES
GICÆ

E DEI,

A.
FRIDERICIANA,

FICIENTISSIMO,
PRINCIPE AC DOMINO,

WILHELMO,

ENBURG. HÆREDE,

ETC.
I D E

BREITHAUPT,

& Semin. Directore,

Duc. Magdeb.

DENTE
MUMGART,

ect. Semin. Alumno,

Dec. M DC XCVI.

EBURGICÆ,

Æ ZEITLERI, ACAD. TYP.